

Autor Juchasin p. 90. floruisse Hillelem refert, anno contractuum 670. h. e. Christi 360. Ex quo liquido satis apparet, alium R. Hillelem hujus Codicis Scriptorem fuisse. Richard. Simon. l. c. observat, diversas hujus Codicis lectiones esse levissimas, nec nisi in grammaticis rebus, quæ a recentioribus sunt inventæ, a reliquis Codicibus abire. Nobis videtur, ætatem Hilleliani Codicis eodem veritatis patrocinio niti, quo illa, quam R. Azarias de Haadumim in Imbre Bina cap. 9. p. 53. b. de Codice ab Esdra ipso consignato tradidit, de quo Bartoloc. B. R. Part. II. p. m. 800. ut & le Long. in Bibl. S. p. m. 62. videndi. Jactant Judæi multa de antiquis Codicibus, quæ Eruditi falsa deprehendunt. Codex Hillelianus sine dubio ad Masoram erat emendatus, scriptis ab alia manu literis, ab alia vocalibus, quales, plures Codices prostant, qui vix XI. seculum superant.

## §. IV.

Secundus Codex, in quo nostri versus desiderati sunt, fuit R. Haaj, qui secundum R. David Gans Part. I. f. m. 36. b. vita excessit Anno M. 4797. secundum alios 4798. h. e. Anno Christi 1037. vel 1038. Hic interrogatus, cur duo versus nostri non legantur in libro Josuæ, respondit, licet hoc in loco non reperiantur, eosdem tamen in Paralipom. exstare. Docet hoc R. David Kimchi in Commentar. ad Cap. XXI. Josuæ vers. 7.

Observavi, quod interrogatus sit Rabbenu Haj fel. memoriæ de hac re, qui respondit, quamvis non hoc loco adducantur istæ urbes, eas tamen allegari in 1. Paral. VI. 78. 79. ex quo constat, quod in eorum libris non scripta fuerint ista urbium nomina.

ראיתי כי נשאר רבינו  
 האוי דל בזאת השאלה וחשיב  
 אף על פי שהכ' לא חשיב  
 להו ברברי הימי חשיב להו.  
 נראה מתשובתו כי אין  
 כתובים בספריהם :

Non